



UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

Universitätsbibliothek Paderborn

**Constans Defensio, Ex S. Scriptvra, Et Vera Catholica
Doctrina, Atqve Observatione Vniuersalis Christianæ
Ecclesiæ Deliberationis de Christiana Reformatione**

Bucer, Martin

Genevae, 1613

Quatenus Coniugium debeat prædicari

urn:nbn:de:hbz:466:1-34315

ceant, vel etiam prætermittat: de quo Deus ab vnoquoque rationem postulaturus est, neque etiam potestatem habet vnus Episcopus, alterum propterea condemnandi, cum nullus super alterum sit, vt Cyprianus bene scripsit. Nulla n. potestas est in Ecclesia Dei, nisi ad ædificationem.

Porro quod Liber præcipit, ne vlla grauamina, aut vota, contra Scripturam ordinandis imponantur, cuiusmodi est Abiuratio legitimi Matrimonij, id cum Scriptura, quàm maximè consentit. Ea n. & Episcopos, & Clericos postulat, qui sint vnus vxoris mariti. Hic verò quæ ad cælibatum à Domino vocati non sunt, necesse est eiusmodi votum esse perniciosum laqueum, quemadmodum, proh dolor, longo hæctenus tempore nimis apertè per experientiam potuit, sed de hoc infra suo loco copiosius & exactius.

Quarta pars est, ab omnibus Ordinandis in hoc Libro exigì, vt fateantur doctrinam eius certissimè esse vnicam Catholicæ Ecclesiæ Dei doctrinam, similiter vt polliceantur in ea tanquam absque dubio Christiana manere, ipsam fideliter tueri, docere, & secundum eius ordinationem viuere. Cum totus Liber totius Ecclesiæ Christi doctrinæ in tam multis & insignibus locis ex Diametro contrarietur, nec vllum in scripturis habeat fundamentum. Vt omnis ordinandus ad ministerium Ecclesiæ, Christianam doctrinam prius profiteatur, & in eo fideliter se perseueraturum polliceatur, antiqua est & Apostolica constitutio, quod nec ipsos Aduersarios latet.

Iam verò indubitatum est, doctrinam Libri Reform. in S. scripturis firmissimè fundatam, & idcirco vnicam esse, certam, & indubitatam, Ecclesiarum Christi doctrinam. Aliter autem se rem habere, & minimè quidem hæctenus probarunt aduersarij, nec deinceps probabunt in sempiternum.

Hæctenus ad articulum de Ordinatione.

Vicesima septima Accusatio.

De Matrimonio.

Vtrum Coniugium sit Sacramentum.

Quatenus Coniugium debeat prædicari.

Vtrum secunda nuptia debeant in Christiana Ecclesia celebrari.

De Sponsalibus contractis inuitis ac nesciis parentibus.

De forma benedicendi nuptiis.

CAP. CXVI.



Hæc accusatio continetur septem partibus, quarum prima est. Librum non recipere Matrimonium in numerum Sacramentorum, cum Paulus testatur, in verbis primi hominis, loquentis de Eua vxore sua, *Hoc nunc os ex ossibus meis, & caro de carne mea, propter hoc relinquet homo*